

Georgium (de Podiebrad) prius regem boemorum pugnabat. Rem ad annum 1468. 69. tangit *Aquil. Jul. Caesar* in *Annalib. Ducat. Styr. T. III. Vien. 1777. f. Stubenbergius*, et *Lichtensteinius Friderico* reduci supplices facti veniam obtinere; *Paumkircherus* quam vasto corpore, tam viribus validissimis, ut audit *Aen. Silvio* in *Hist. Friderici Imp.* cum *Greiffeneggio* capite *Graecii* plexus a. 1471. Anteriori Codicis Thecae adglutinata est Membrana, duabus columnis exhibens eleganti manu Sec. XIV. Fragmentum hebr. absque punctis a *Genes. C. XVI. v. 14. ad XVII. 15.*

CXXXVIII.

- R. 3313. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 211. f. maj. per duas columnas admodum nitide scriptus, miniatus et literis initiorum picturatis ornatus, est, ut e clausula jam huc transferam, *Collectarius super librum psalmorum collectus et finitus per fratrem petrum de berenthals Canonicum et priorem Floressiensem premonstratensis ordinis Anno incarnationis Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quarto In mense Januarij die quarta.* De Viro hoc quondam sui Ordinis videri potest *Oudin. T. III. col. 1218.* ubi et cetera ejus Scripta, et *Collectarii* nostri Editiones refert, quarum tamen plures adnumerat *Maittairius*. Dicavit illum *Petrus Patri Reuerendo dominoque meo carissimo domino Johanni de Arkel* dudum

Traiecten. ecclesie nunc uero Leodien. Episcopo, et orsus est: *Cum rem quamlibet honestatis splendore perspicuam &c. Expositio vero ita incipit: Beatus uir &c. Psalterium est quedam magna domus &c. Tam Praefatio, quam ipsa Expositio Cento merus est, siue Catena cujus articulos subpeditauere Cassiodorus, Augustinus, Nic. de Lira, Glosa, Hieronymus, Hugo Victorin. Remigius, Gregorius M. &c. minio distincti, et ipse Collector. Finem Operi faciunt Peroratio: Explicitus est mirabilis et decorus ordo psalmorum &c. tum Oratio ad Deum, quam Librarius ridicule Oratius inscripsit, demum Recommendatio libri psalmorum. Ad calcem praeter jam supra adlata: Finitus autem presens Liber sub anno domini Millesimo CCCCXXX. Per manus Symonis strigl vicarii chori sancti Mauricij august. et fol. ult. Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo Tertio Venerabilis in christo pater et dominus Dominus Symon Abbas Monasterij lunelacensis comparauit hunc librum pro florenis vngaricis XII. fane aureis. Praefuit Simon ab a. 1420. ad a. 1463.*

CXXXIX.

- Codex potissimum chartaceus U. 577 mixtis membranis lat. Sec. XIV. Folior. 224. f. per duas columnas exaratus hanc pro Theca anteriore Inscriptionem *συγγεγον* exhibet: *Primum Volumen lecture M. Haynrici de Oyta super psalterium et continet tabulam omnium psal-*